



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Morib. Ignatii Loiolæ, Qvi Societatem Iesv  
Fvndavit, Libri III**

**Maffei, Giovanni Pietro**

**Dvaci, 1585**

De ora[n]di assiduitate, & studio pietatis. Cap. I.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44004**



DE IGNATII LOIOLAE  
VITA ET MORIBVS  
LIBER TERTIVS.



ACTENVS Ignatij toto vitæ cur-  
su proposito, nūc præcipua quæ-  
dā de ipsius factis, dictis, ac mo-  
ribus, & quidem quo magis in  
promptu sint, per species exse-  
quemur. Ac primum de studio  
precandi meditandique, qua lau-  
de in primis Ignatius floruit.

*De orandi assiduitate, & studio pietatis.*  
CAP. I.

**I**Nitio conuersionis, vt ante diximus, pre-  
candi contemplandiq. causa magnam sibi  
vim intulit, partim in rerum caducarum,  
quibus assueuerat, vitanda recordatione;  
partim etiam in scrupulorum molestiis abigendis.  
Procedente deinde tēpore, cum magis in dies à con-  
tagione corporis, Deo adiutore, se abstraxisset, tan-  
tam eius generis facultatem adeptus est, non modo  
vt è cæli, siderumq. aspectu, quo maxime capiebatur,  
sed

sed etiam vt ex intuitu floris, aut herbe, aut leuissime cuiuslibet rei, confestim in Dei cogitationem amoremq. suauissime raperetur. Idq. nostris hominibus cupiebat esse familiarissimum, vt in singulis creatis rebus, quoad eius fieri posset, creatoris potentiam, sapientiam, bonitatem agnoscerent. Eosdem monebat, vt contra quotidianas demonum insidias, ne circumuenti repente in fraudem inducerentur; vel instructo, quod aiunt, agmine semper incederent, vel certe dissipatis in varias curas & negotia viribus animi tamquam receptui canerent stans horis diei; & in semetipso descenderent, suaq. omnia dicta, facta, cogitata, coram Deo quam diligentissime reputarent, adhibito etiam monitore, si opus esset, vel memorię, vel etiam notitię causa: denique omnia probe contemplati, contra id vitium maxime pugnam capesserent, quo vitio se precipue vrgeri & laborare sentirent; nec ante desisteret, quam Deo duce debellatum esset. Sane ipse, quamquam se habebat semper in potestate, & ex diui Bernardi precepto, non se rebus tradere, sed commodare consueuerat; tamen, qua erat diligentia, in singulas horas vltro inquirebat in se: idque, propter diurnam exercitationem, nullo negotio: magisq. ac magis in spiritu proficere nitebatur, diem cum die, vt supra diximus, hebdomadam cum hebdomada conferens: qui cursus ad candorem animi ac perfectionem certissimus est. neq. id solum, sed etiam stans quotidie temporibus, erepto ex summis occupationibus otio, contemplationi vacabat. quam ad rem aliquoties à domesticis clam obseruatus est hoc maxime modo se comparans. Vt enim superiorem ascenderat ædium partem, vnde liber esset prospectus ad sidera; stabat aliquantisper oculis

in cælum defixis: tum prouolutus in genua, totius huiusce pulchritudinis conditorem suppliciter adorabat; deinde propter imbecillitatē, humili scabello simul atq. confedisset, continuo ex oculis vberes lacrymarum riuuli profluebant; idq. nullo prorsus vel singultu, vel strepitu. Atq. in hūc fere modum, æque animo & corpore immotus, excipiebat diuini luminis radios, ac patri cælesti mira quadam spiritus dulcedine iungebatur. Neq. vero ad beatos hosce congressus, tantummodo sub orationis horam componebat ille sese, verum in perpetua quadam erat vigilia contra omnes rerum mortaliū illecebras, & otiosam mentis euagationem. nec minus accurate animū ab omni labe tuebatur, quàm qui pretiosis ornati vestibus, via lutulenta coguntur incedere. intenta erat custodia sensuum; quotidiana cuiuslibet omissionis confessio; iugis recordatio beneficiorū Dei; in aliorum factis dictisq. interpretādis nulla temeritas. denique summa obseruabat cura quidquid ad Christi gratiam vel tuendam, vel augendam quoquo modo pertinere intelligeret. Mortalium rerum curas, ac præcipue quæ ad affines cognatosve pertinerent, omnino refugit, illud Apostoli dictum reputans apud se: Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus. Erat ei proneptis ex fratre, virgo, quæ deinde Ioanni Borgia nupsit hodie Philippi Regis apud Cæsare legato. de hac in matrimonio collocāda cum ad eum subinde referretur; totam ille rem semper ad cognatos reiecit, nec adduci vñquam potuit, vt vel minimam eius negotij partē attingeret. Oranti aliquando per hiemem clauso cubiculo, allatas è Guipuzcoa litteras ianitor festine reddidit; ratus gratissimas fore, quòd nimirum longo & locorum  
& tem;

& temporum interuallo afferrentur. at ille fasciculū, vt erat ligatus, illico in ignem abiecit, re ipsa ianitorē admonens, qui sese cęlesti militiæ addixerit, huic esse mortalia negligēda. Peregrinis hominibus, conditionem, ipso interprete (quòd multum apud principes auctoritate valeret) in aula quærentibus, negabat sibi nisi cum summi Regis aula rem esse: ad eam si aditum optarent, daturum se operam, quantum labore ac precibus assequi posset, vt essent in intimis Regis amicis ac familiaribus. quo responso vulgato, minus multi iam in eo genere molestiam illi exhibebant. Nihil maioris momenti aggrediebatur vñquā, nisi attente consulto ac propitiato Deo. nec vllum quamuis leue religionis obibat officium, quin eius animi ardor, ex toto corporis habitu, ac præsertim ex fronte atque oculis emicaret. ex quo facile existimari potest, qualem ille se in horaria precatione psalmisque, & in sacrificio Missæ præstiterit. Sane, cum initio sacerdotij, in medio Lateranēsi templo, Christi natalitia celebraret ad aram sacris Apostolorum Petri, Pauli, & Andreæ reliquiis inclytam, tanta est repente spiritus dulcedine delibutus, vt inter diuinam rem peragendam lacrymas tenere nulla vñquam ratione potuerit. Quo tam insolito spectaculo commotus è circumfusa multitudo quidam, ac rem longe secus interpretatus, Francisco deinde Stratæ Ignatij administro in aurem insusurrans: Facinorosum nempe virum, inquit, sacerdotem istum tuum, & omnibus flagitiis coopertum, qui conscientiæ stimulis agitato, crimina sua toto pæne sacro defleuerit. Visionum præterea exstat libellus, ac luminū, quæ illi ferme sacrificanti obuenerē, quo maxime tempore Societatē ordinabat: quas visiones ipsemet

pietatis & memoriæ causa in ephemeridem retulit. Eum libellum qui attentius legat, clare perspiciat, qua præparatione, quo spiritu ad Sacramentum altaris accedere cõsueuerit. Septem etiam Urbis templa, & religione & Pontificum indulgētiis celeberrima, certis anni temporibus diligenter & caste visebat pedes, & quidem per hiemē lacernatus, haud sine mantelo: nec vlla corporis lassitudine, aut ceteros exēplo suo destitui, aut se tantorum bonorum communione fraudari patiebatur. Piacularia vero grana quæ dicuntur, & cereas agni cęlestis effigies, pictasq. Sanctorum icunculas, & alia id genus quę ab impiis iridentur, ita studiose tuebatur, & caras habebat, vt in eius scrinio post mortem nihil fere aliud apparuerit. Pro Ecclesia catholica, ac nominatim pro Christianis Regibus atq. principibus, quotidie ardentem orabat: pro summo vero Pontifice nūquam sine vberimis lacrymis. Et quoniam denuo lacrymarum incidit mentio; non omittenda videtur hoc loco res memoratu digna. In ceteris ornamentis ac beneficiis, donum etiam lacrymarum Ignatius à Christo Domino acceperat, sic, vt in singulas preces illico fletus erumperet. qua cõsuetudine eo deniq. adductus est, vt propter acrimoniam humoris paulatim exesa luminis vi, aciem oculorū pæne amiserit. hac ille iactura, quod ad ipsum priuatim attinebat, non sane mouebatur: quinimmo triūphabat se in obsequio Christi oculos perdere. Sed quoniam id fieri sine magno communis rei detrimento non poterat; suorum præsertim accedēte impulsu, precari Dominum institit, vt sibi liceret interdum à lacrymis temperare. nec frustra, si quidem ex eo tempore tantum in lacrymas ius & arbitrium obtinuit, vt earum quasi habenas, prout

prout vellet, adduceret idem atq. remitteret. Quæ res cuiuspiam fortasse veritatis fidem excedere videatur; sed nobis utique in tam recenti memoria mentiendi causa non est.

*Quod eius fuerit de perfectione iudicium.*

CAP. II.



C licet precationi vsq. adeo deditus esset, tamen eo studio, se vel à publica re administranda, vel à caritatis ceterarumq. virtutum officiis minime patiebatur abduci. & quamquam certum unicuiq. spatium tēporis quotidie necessarium esse dicebat ad se colligendum, viresq. diuinitus impetrandas; tamen eos non ita laudabat, qui dulcedine solitudinis, & diuinæ familiaritatis illecti, in arenam descēdere, & sua primum vitia euellere, deinde etiā proximos adiuuare negligenter. quinimmo, pluribus doctus experimentis, aiebat, qui minus in eo genere sibi temperant, eorum plerosq. (nisi periti cuiuspiā ductum sequantur, vel præcipuo Dei fulciātur auxilio) partim dæmonum illusionibus obnoxios esse, partim etiam contumaces, & sibi placentes, & in sua sententia mire obstinatos ac peruicaces euadere: qua peste nulla propemodum esset hominum cœtibus capitalior. itaq. suorum ille profectum, non tam ex continuata precatione, vel diuturno secessu, quàm è solidæ virtutis officiis, ac præsertim ex mansuetudine atq. animi æquitate spectabat. Cum è familiaribus nescio quis, fratrem præstanti religione collaudans, ad Ignatium cum admiratione dixisset: En hominem iugiter precationi vacantem: immo vero, mutata voce, en, inquit Ignatius,

tius,